



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

16. An qui cessit bonis si non possit præbere fideiussores idoneos,
sufficiat præbere cautionem iuratoriam? Ex p. 7. tr. 8. res. 26.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

dictum, l. 7. & l. 8. c. qui bon. ced. poss. pactum verò quod est contra bonos mores non valet, l. 7. §. 7. ff. de pact.

5. Quod, liberi hominis caro, & corium ad carceres ad petitionem & voluntatem creditoris per indirectum deduci videtur contra linter stipulantem, §. facram. ff. de verb. oblig. Et hanc sententiam præter Doctores citatos tenent etiam Doctores quos citat & sequitur Hunnius in Encyclop. iur. p. 2. tit. 27. c. 2. n. 5. quibus adde Cardinalem Tuschum tom. 1. concl. 218. n. 7.

6. Sed his non obstantibus, ego affirmatiuæ sententiæ adhaereo, quam tuetur Harpprechtus in Comm. ad inst. tom. 4. tit. de att. §. ult. n. 11. & seq. Et ratio est, quia non est indulgendum beneficium qui ei renuntiavit, & pactus est cum creditore suo, se bonis non cessurum, si quis in conscribendo, l. 2. c. de pact. l. si iudex 4. §. de minor. 2. §. ann. Nou. 146. c. 1. In quibus locis omnibus dicitur, vnicuique integrum esse his, quæ ipsi à lege concessa sunt, renunciare. Atque manifestum manifestius est, cessionem bonorum solius debitoris gratia & fauore esse inducendam, & receptam. Ei ergo renunciare poterit,

7. Neque obstat, quod nemo possit pro debito pecuniario se ipsum carceri perpetuo obligare, cum obligatio illa perpetua quædam esset seruitus, ad quam liber homo se attingere nequit, l. 2. ff. de liber. hom. exhib. l. Titio centum 71. §. 2. ff. de cond. & demonstr. Iam verò ad carcerem perpetuo se obligare videtur, qui renuntiat beneficio cessionis: cui si non renunciaret, à carceris metu liber foret, d. l. 1. c. qui bon. ced. poss. Et hac ratione communis Doctorum chorus permotus, renunciationem cessionis etiam iurata, inuolidam esse putauit.

8. At hoc inquam nihil obstat. Neque enim debitor qui renuntiat cessionis bonorum se ad carcerem obligat. Ipso quidem iure, sine suo consensu obligatur ad carcerem, qui ad soluendum non sufficit. Itaque si hoc cessionis auxilium repudiat, se ad carcerem non adstringit, sed potius perdit & abdicat beneficium, quo se à carceris obligatione per leges inducta liberare potuit. Deinde etsi debitor directe non possit sese ad carcerem obligare; tamen per indirectum & obliquum id facere non prohibetur: cum multa, quæ non possunt fieri directe ac principaliter, in consequentiam fieri non prohibeantur, arg. l. si vnus 27. §. illud 3. ff. de pact. At verò in proposito, is qui renuntiat beneficio cessionis, non hoc agit directe ac principaliter, quo in carcerem ducatur, sed solum in consequentiam, itemque in euentum, si videlicet non soluerit, nec ad soluendum fuerit sufficiens.

9. Multo minus obstat l. alia causa 14. §. 1. ff. sol. matrim. ubi traditur, mariti pactum, quo conuenit, ne in id, quod facere possit, condemnatur, sed in solidum, seruandum non esse. Nam magna est ratio differentie inter priuilegium, quod marito competit, ne in solidum ab vxore conueniatur: & inter cessionem bonorum, illi renunciari non potest: quia ad reuerentiam, quæ maritis est exhibenda, seruandam, introductum est, quæ violaretur, si maritus propter renunciationem suam, & pactum conueniretur in solidum. Huic autem cessionis beneficio renunciari potest: quia nihil contra reuerentiam vel bonos mores fieri intelligitur, si debitor, qui cessionem renuntiavit, in carcerem compingatur, cum potius pactum illud ad fidem commerciorum retinendam vergat.

10. Minime omnium obstat, quod renunciatio, & pactio super iure futuro non valeat, l. is qui heres 131. in princ. ff. de acqu. vel omis. hered. l. si ita scriptum 45. §. 1. ff. de leg. 2. Istæ autem renuntiatio esset de iure futuro, quoniam ius cedendi bonis non competit, nisi facta condemnatione, vel debito in iudicio agnito, l. pen. ff. de cess. bon. Minime inquam, illud obstat. Quod enim iuri futuro renunciare liceat, nemini dubium esse potest. Quis enim dubitaret, quin res nondum existentes, sed extituras tamen, in conventiones & contractus deduci queant? Nec monerint quidquam d. l. is, qui heres 131. in princ. ff. de acqu. vel omis. hered. & d. l. si ita scriptum

45. §. 1. ff. de leg. 2. Loquuntur siquidem de legato sub conditione, vel die relicto. Id antequam conditio extiterit, aut dies venerit, repudiari nequit: quandoquidem interim nobis cum effectu non debetur. Dixerim verò obtinet, in re futura, purè promissa. Deinde falsum est, quod ius cedendi bonis non competit, nisi facta condemnatione, vel debito in iudicio agnito. Aliud quippe est cessio ipsa, aliud ius cedendi. Ius cedendi habet debitor operatus ab initio statim, cum ad soluendum sufficiens esse desit: cessio autem tunc demum fieri permittitur, quando de debito liquet.

11. Vnde ex his patet responsio ad argumenta negatiuæ sententiæ. Nam patet quod quilibet fauori suo possit renunciare, l. pen. c. de pact. Deinde, quod falsum sit, quod debitor non possit se ad carcerem obligare. Zafius lib. 2. sin. resp. c. 8. And. Clud. de sequest. c. 12. n. 106. Francus de fideiuss. c. 3. n. 44. Vvelemb. in tr. de fideiuss. n. 4. Myns. centuria 6. obseruatione 51. Tertiò, quod falsum etiam sit, quod iuri futuro non liceat renunciare, & l. is, qui heres ff. de acquirenda hereditate, & l. si ita scriptum, §. 1. ff. de leg. 1. 2. loquantur de legato sub conditione, vel die relicto, quod antequam conditio extiterit, vel dies venerit non potest repudiari, quoniam interim nobis cum effectu non debetur: at secus se res habet, cum re futura, purè promissa. Quartò, quod hæc renunciatio directe non sit contra bonos mores, & bonorum cessio non aliter sit ex benignitate & humanitate debitoribus concessa, quod si ea vti voluerit: & quia sua culpa ad soluendum sufficiens esse desierunt, non commiseratione, sed odio potius digni sint.

12. Sed hæc omnia intelligenda sunt si renunciatio cessionis bonorum facta sit sine iuramento; nam si interfuerit iuramentum, contrarium dicendum est, vt rectè obseruat Molina de inst. tom. 2. tit. 2. disp. 572. in fine. Igitur in tali casu debitores petant ab Episcopo absolutionem, à iuramento.

RESOL. XVI.

An qui cessit bonis, si non possit præbere fideiussores idoneos, sufficiat præbere cautionem iuratoriam? Ex p. 7. tract. 8. Ref. 16.

§. 1. **R**espondeo, quod vt cessio bonorum efficax sit, & cedentem liberet, requiritur vt is prius caueat de soluendo residuum si ad pinguiorem fortunam peruenerit, §. final. inst. de att. Couar. lib. 2. c. 1. n. 6. Iac. Menoc. lib. 2. q. 1. b. r. ind. q. cas. 18. n. 20. Matt. Brun. tr. de cess. bon. q. princ. 7. n. 1. & seq. Nicol. Boët. dec. 196. n. 1. & 2. Marc. Ant. Natta cons. 591. n. 1. & seq. vol. 3. Arim. Tepat. in epitom. dec. tit. 53. de iudicial. & prouocat. lit. c. 2. Rutgerus Rulandus de commissar. d. c. ult. n. 19. Hæc autem cautio fieri debet fideiussoribus idoneis. Ant. Hering. de fideiussorib. c. 5. n. 88. Florid. Mausonius de causis executiu. lib. 1. limit. §. n. 41. Valricus Zafius ad l. qui cedit, n. 5. ff. de cess. bon. Trentacinius d. ref. 27. n. 5. Quod si debitor ob paupertatem fideiussores habere non possit, ad iuratoriam cautionem admitti debet. Couar. d. c. 1. n. 6. Matt. Brun. de cess. bon. q. princ. n. 5. 6. 7. & 8. Iosep. Ludouici dec. Perysina 63. n. 8. p. 2. Flor. Mauson. de caus. execut. lib. 1. limitatione 42. & seq.

2. Quod probatur, nam regulariter ad iuratoriam cautionem admittitur qui fideiussorem dare non potest, vt patet ex Auth. generaliter, c. de Episc. & Cler. ex l. fin. §. Super de asser. toll. §. Si verò tamē in Auth. vt nulli ind. & §. Sed hodie inst. de satisf. d. & ex c. fin. de sent. excom. Et ita hanc sententiam præter Doct. citatos tenet Th. Maulius tr. de cess. bon. tit. 5. n. 6. Et licet Vlric. Hunnius ad Treutler. vol. past. disp. 24. thes. 4. lit. C. contraria sententiæ magis adhaereat, tamen postea nostram sententiam tenuit in Encyclopædia iuris parte 2. tit. 27. c. 1. n. 14.

A a 4 RESOL.